



Consilia Seu Responsa Juris

Schmalzgrueber, Franz

Augusta Vindelicorum & Ratisbonae, MDCCXL

Cons. XCI. Ecclesiæ Ædificandæ. Varii deteguntur fundi, ex quibus subsidium ad construendam Ecclesiam Regularem desumi possit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72304](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72304)

CONSILIIUM XCI.

In causa petiti subsidii ad construendam Ecclesiam Regularem.

SUMMARIUM.

1. Facti species.
2. seqq. Ex otiosis pecuniis unius Ecclesie potest pro necessitate alterius Ecclesie mutuum sine censu dari.
3. 6. Usura sunt illicita.
7. Res Ecclesiarum ex justa causa alienari possunt.
8. Jus quassitum auferri invito non debet: Ecclesia tamen non censetur invita, si otiosa pecunia bene impendantur. n. 20.
9. Relicta ad certum opus pium, in alios usus commutari non debent: potest tamen id fieri ex causa magna utilitatis. n. 21.
10. Episcopus potest commutare ultimas voluntates, si finis ibi intentus obtineri non potest: non tamen opus est tali commutatione, quando pecunia ex redditibus superflua ad alios usus pios applicantur. n. 22.
11. 12. Relicta pro Hospitalibus & pauperibus, an applicari possint Ecclesiis? saltem applicari possunt, quia superabundant ex redditibus. n. 23.
- 24.
13. seqq. Stabilitur doctrina de superfluis redditibus ad alias causas pias applicandis.
26. seqq. Ubi modo sublatum est exercitium Religionis Catholicae, debent tamen fundationes Ecclesiarum ad primariam intentionem applicari, quantum fieri potest.
32. seqq. Si relicta ad usum pium, applicari ad hunc non possunt, debent applicari ad alium similem.
35. seqq. Collecta publica debent impendi in utilitatem subditorum.
39. Episcopus potest petere subsidium charitativum pro edificanda nova Ecclesia.
40. seqq. Et Princeps secularis ob eam causam potest indicare extraordinariam exactionem.
44. 45. An necessarius sit consensus subditorum ad collectas imponendas?
46. Singuli subditi debent aliquid conferre pro utilitate totius communitatis.
47. Residuum Collectarum potest expendi in alios utiles usus.

FACTI SPECIES.

I.



Religiosa aliqua communitas sacris suis Ministeriis Incolis & accolis indefesse præstat obsequia utilissima. Unde etiam magnus est concursus pro recipiendis Sacramentis ad ejus Sacellum, quod cum nimis angustum sit, ab omnibus expetitur, & pro necessaria indicatur nova & amplior quædam Ecclesia, quæ non solum toti civitati sed etiam universo populo illius ditionis inserviret. Cum autem ipsi communitati media ad eam construendam non suppetant, hinc

QUÆRITUR I.

An Superior Ecclesiasticus, qui simul est Dominus territorialis, ac plenariam administrationem subditarum sibi Ecclesiarum habet,

ex earum superfluis redditibus aliquam portionem otiosa pecunia bonâ conscientia ad structuram novæ Ecclesiæ ad aliquot annos sine censu vim mutui concedere possit?

Judico respondendum affirmative, modo Ecclesia, vel alia fundatio pia ex talimutuo damnum non patiatur. Prima ratio fundatur in congruentia, ac decencia, simulque etiam in pietate, ac misericordia, cum non satis æquum videatur negare subsidium hoc mutui sine censu, ad certos annos iterum solvendi, & sic impedire constructionem novæ Ecclesiæ, pro necessitate, & utilitate publicâ intentæ, præsertim cum media, ad hanc structuram complendam necessaria, sine subsidio, aliunde sumpto, non suppetant, Ecclesiæ autem, & piæ fundationes, à quibus mutuum istud petitur, otiosas pecunias multas habeant.

2. Concordant huic asserto Universitatibus Lovaniensis DD. super hoc casu interrogati, in responso suo juridico, dato 12. Martii 1725. ubi in terminis dicitur, sanè,

2.

3.

si una fundatio abundaret, & in presenti non indigeret, forte cum consensu eorum, quorum interest, aliqua summa, seu quantitas per modum mutui capi posset sine aliquo censu, cum obligatione restituendi etiam per particulares aliquas solutiones. Nec desunt in ditione hac praejudicia aliquot, & exempla; nam, cum ante complures annos extrueretur magnificum Templum, & parata, quae tunc habebantur, media ad hanc fabricam non sufficerent, ipse Princeps ex ditioribus Ecclesiis, & foundationibus piis aliquot millia florenorum, sine censu accepta, fabricae illi applicavit, quae dein successivè rursus fuerunt soluta.

4. 3. Neque adversatur jus Canonicum; nam in toto hoc jure nullus invenitur textus, quo prohibeatur acceptio talis mutui sine censu. Imò eodem jure lucrum, immediate ex mutuo proveniens, quippe cum rationem usurae lucratoriae habeat, severissime prohibitum est. Cui concordat

Const. Carol. V. edita Augusta 1530. tit. von wucherischen Contracten. & ipsum jus divinum, & naturale, prout colligitur ex

can. quoniam. 2. dist. 47. c. quia in omnibus 2. C. super eo 4. c. consuluit 10. c. quam perniciosum 11. de usur. & illo Luc. 6. v. 35. mutuum date, nihil inde sperantes.

res ergo exorbitans foret, si una Ecclesia dives alteri pauperi pecunias, quas otiosas apud se illa habet, sine usuris subministrare pro hujus necessitatibus non valeret. Hinc

5. 4. In primitiva Ecclesia census annui omnino fuerunt incogniti, & prohibiti. Et quamvis successivè tandem, refrigerante inter Christianos charitate, fuerint introducti, atque etiam per leges positivas approbati, tamen adhuc hodie certum est, & exploratum, quod illae usurae, quae repugnant charitati Christianae, & erga proximum, nullo jure, nullaque consuetudine permitti, atque concedi possint, prout bene advertunt

Wading. D. 6. de Contract. dub. 8. §. 2. n. 2. Begnudell. V. usura. n. 5. Engl. ad tit. de usur. n. 10. Reiffenstuel ibid. n. 54. König n. 6. Wiestner n. 37. cum aliis.

6. Ratio est, quia consuetudo, quae juri divino, & naturali contraria est, non est rationabilis, sed potius corruptela. Et propterea circa consuetudinem Germaniae, quae 5. pro 100. census nomine solent accipi, multum laborant DD. ut istud à labe usurariae excusent, ex quorum sententia unanimi ex mutuo nunquam accipi licite possunt usurae, nisi ob damnum emergens, lucrum cessans, & periculum fortis. Et hinc census quincunces, in Imperio accipi solitos, ab usuraria labe ut absolvant, illos dicunt non peti ex mutuo, sed ex contractu speciali emptionis venditionis.

R. P. Schmalzgrueber Consilia.

quem propterea Germanicum vocant. Imò

5. Res Ecclesiasticae propter necessitatem, utilitatem, pietatem &c. alienari omnino possunt: qualis est 1. pro redemptione captivorum inter infideles, quibus mors, aut grande periculum corporis, & multo magis animae timetur; pro horum enim redemptione non solum res temporales, sed vasa etiam sacra oppignorare, vel distrahere, si ita necesse est, licet.

can. sacrorum 15. can. sicut 10. can. aurum 70. caus. 12. q. 2. §. sacra res 8. inst. de rer. divis. l. sancimus 21. C. de SS. Eccl. novell. 120. c. 10.

Item 2. pro necessitatibus pauperum, ne frigore, aut fame pereant.

l. sancimus cit.

ubi Imperator, non est, inquit, absurdum, animos hominum quibuscunque vas, vel vestimentis praeferi: & merito; nam, ut recte Ambrosius

can. aurum cit.

relatus observat, melius est, ut servantur vasa viventium, quam metallorum. 3. pro aedificando templo; nam hujus erectione Cultus divinus magis promovetur, modò Ecclesiae, cujus res in finem hunc alienantur, relinquuntur redditus, qui ei sufficiunt. Igitur multo magis licebit dare mutuas sine censu pecunias, sumptas ab una Ecclesia divite, quae illis non eget, easque applicare pro fabrica alterius Ecclesiae, utilitati, & necessitati publicae inserviturae, suo tempore restituendas ex integro, quippe cum haec applicatio non habeat vim verae, & perpetuae alienationis, sed mutui tantum. Proinde sine omni conscientiae scrupulo concedi tale mutuum sine censu, positis his circumstantiis, & conditionibus, poterit.

QUÆRITUR II.

Utrum Superiori Ecclesiastico,

qui plenam administrationem rerum tam Ecclesiasticarum, quam temporalium, ad Ecclesias sibi subjectas pertinentium, habet, salva justitia liceat, ab aliquo Hospitali, vel alià Ecclesià, quoad fabricam praevidite, & mediis abundante, consideratis praefatis circumstantiis, aliquot millia florenorum accipere, & hoc auxilio promoveri fabricam dictae Ecclesiae?

8. Rationes dubitandi sunt imò quia nec privato alicui, citra ipsius assensum, factum, & culpam res eidem propria, vel jus ipsi quaesitum auferri potest, juxta

Reg. id, quod nostrum est 11. ff. de R. j.

& ex eadem ratione nemo, etiam privatus, ut suum pro exstruenda aliqua Ecclesia, v. g. Religiosorum conferat, invitatus cogi potest;

(lii ii)

test;

test: neque sic savendum est uni, quantumcunque piam causam sustinenti, & favorem publicum merenti, ut aliis iniustitia fiat.

c. ex tenore 11. de for. compet.

qualis autem iniustitia fieret, si ipsis suum auferretur.

Peck. *de reparand. Eccl. c. 25. n. 5.* Proinde nec in substrata nostra hypothese redditus, & pecuniae, in quibus hospitalia, pia causa, & Ecclesiae jus planè quaesitum habent, auferri ipsis, & aliò converti possunt.

Gabr. *comm. opin. de jur. quasit. non tollend. concl. 2. n. 12.* Monet. *de commut. ult. volunt. c. 5. n. 361.* Peck. *loc. cit. n. 5.*

Quapropter in materia commutationis consideranda venit circumstantia, an praedictam aliquod, ex commutatione tali resultans, sit singulare, & certum respectu alicujus in specie, cui sit jus quaesitum: & tunc Episcopus, quia solummodo gerit partes iustitiae, ut iudex, per ea, quae notat

Card. de Luc. *ad Conc. Trid. disc. 21. n. 7.*

in ejus praedictum talem commutationem facere non potest juxta eundem

Card. de Luc. *in suppl. de Testam. disc.*

87. n. 4. *¶ ac etiam usque ad finem.*

Proinde ob eandem rationem, scilicet, quod jus quaesitum nemini auferri possit,

9.

2. Siquid pro certis pauperibus, vel ad certum opus pium relictum fuerit, id ipsum ne quidem Pontifex in alios usus commutare solet, aut etiam de potestate ordinaria potest.

Monet. *c. 5. cit. n. 153. in fin.*

nisi ex gravi quadam necessitate. Multò ergo minùs hoc licebit Episcopo, aut jurisdictionem quasi Episcopalem habenti, per ea, quae habentur

Clem. *quia contingit 2. de Relig. Dom. ibi, Ea, quae ad certum usum largitione sunt destinata fidelium, ad illum debeant, non ad alium (salvâ quidem Sedis Apostolica auctoritate) converti: &*

arg. l. quod ad certum 1. ff. de administrat. rer. civit.

ubi Ulpianus, quod ad certam speciem, inquit, civitatis relinquitur, ad alios usus convertere non licet. cui consonat

l. legatam 4. ff. eodem.

ubi Valens in principio cit. Legis, Legatam, ait, municipio pecuniam in aliam rem, quam defunctus voluit, convertere citra Principis auctoritatem non licet.

Covar. *in c. tua nobis 17. de testam. n.*

7. Monet. *c. 5. cit. n. 312.* Peck. *c.*

25. n. 5. Engl. *ad tit. de testam. n. 23.*

In propositâ autem Facti specie omnino videtur incredibile, adesse gravem necessitatem pro extructione novae Ecclesiae

quæst. ut inserviat reliquis Parochialibus per totum Principatum, sed potius supponendum, quod singulis Parochianis in singulis ipsorum Parochiis Sacramenta, & alia ad salutem animarum necessaria à propriis eorum pastoribus, sicut hætenus debite administrata sunt, ita deinceps commodè administrari poterint, absque eo, quod Parochianis ad alias Ecclesias, cum secuturo nimis odibili neglectu propriarum Parochiarum, identidem transcurrere necesse futurum sit. Neque obstat

3. Quod communior, & in praxi apud Episcopos recepta sententia sit, juxta quam iisdem rerum, ad certos usus pios relictarum à testatore, in alios usus similes conversio permittitur per

can. prater hoc 6. §. deinde dist. 32. ubi asseritur, quod oblationes vivorum, & mortuorum in Episcoporum dispositione sint, & argumento

ex Trid. sess. 22. c. 6. de Reform.

desumptum, ubi sacra hæc synodus Episcopis præscribit modum, quem observare debent in commutationibus ultimarum voluntatum; sed hoc intelligendum duntaxat est de casu, quando finis proprius, prout à testatore, vel fundatore intentus est, obtineri non potuit. Sed talis specialis ratio in substrato casu nostrae quaestionis non intrat, sed potius contrarium; nam, licet Ecclesiae, & hospitalia de præsentî pecuniis suis non egeant, habeantque pecunias otiosè depositas, id ipsum tamen ob stare non potest; quia expectandum tempus idoneum, quo pecuniae istæ in proprios, & destinatos usus converti poterunt.

Monet. *c. 5. cit. n. 347.*

Et Ecclesia, vel hospitale, quæ jam non eget, forsitan egebit proximè, ideoque, ut notat

Peck. *de reparand. Eccl. c. 32. n. 1. §. sed Barbarius.*

pecuniae, & redditus ejusdem in futurum proprium ipsius usum, non in alios converti debent. Et hinc, quando dicitur, quod Episcopus ex magna causa evidenter utilitatis commutare Legata pia, & Ecclesiae statum immutare possit; juxta allegatos DD. intelligendum est de commutatione, quæ fit in utilitatem ejusdem Ecclesiae. Iterum

4. Non obstat, quod Episcopus relictâ pro hospitali exstruendo applicare possit in exstructionem Monasterii; nam AA. qui hanc opinionem defendunt, fundantur in eo, quod Monasterium etiam ipsum veniat nomine hospitalis, ut propterea Monasterium exstruens etiam hoc ipso hospitale exstruxisse censendus sit. An ratio hæc convincens sit, est penes arbitrium Interpretum. Si non convincat, labitur hoc ipso sententia DD. istorum,

in

10.

11.

in hac ratione fundata. Quidquid autem sit, magna est differentia inter hunc, & praesentem casum; nam in casu praedicto, antequam Hospitale extructum sit, nemini in specie jus adhuc quaesitum est: secus est in materia, & casu praesentis quaestionis.

12. §. Idem dicendum est, quando pro affirmativa affertur argumentum ex Legato relicto pro pauperibus. Nam distinguendum est, an illud relicto sit pro pauperibus in genere, an vero certis pauperibus in specie. In primo casu ita relicta in alios usus pios converti possunt, & applicari egentibus Ecclesiis, quia, & ipsae, quatenus egent, e numero pauperum sunt. Secus in casu secundo ob quaesitum jam istis jus.

Monet. *dict. c. 5. n. 359. Peck. c. 25. n. 5. §. contrarium tamen.*

13. *Rationes decidendi.* His tamen non obstantibus, iudico dicendum, posse pro tali Ecclesia, ob necessitatem, & utilitatem publicam construendam, ex divite hospitali, vel alia pia fundatione ab Episcopo, vel iurisdictionem quasi Episcopalem, & plenariam administrationem Ecclesiarum sui Principatus habente, qui proinde nemini factorum suorum reddere rationem tenetur, subsidium aliquod pecuniarium concedi, ut illud tali fabricae applicetur, si tria ista concurrant. Et quidem imò ut fiat ex iusta causa, qualis est indigentia alterius Ecclesiae; nam Ecclesiae particulares, tanquam membra unius corporis, scilicet Ecclesiae universalis, subvenire sibi invicem debent. 2. ut prius Ministris, Rectori, item fabricae, de cuius bonis translatio facienda est, ex eisdem redditibus provideatur, quod necessarium ipsis est; non enim debet discoperiri unum Altare, ut cooperiatur alterum. 3. ut interveniat consensus Capituli

arg. *c. tua 8. de his, quae à Prælat. imò & Patroni, si Ecclesia sit patronata, ut recte advertit*

Pirhing ad tit. de reb. Eccl. non alien. n. 6.

14. Ratio hujus responsionis est imò quia ob iustas causas res Ecclesiasticae, licet alias alienari prohibita, etiam alienari omnino possunt, ut cum

Gloss. in summ. V. nunc quaritur. caus. 12. q. 2. Abb. in c. nulli 5. n. 5. de reb. Eccl. non alien. Sylv. V. alienatio. q. 1. Redoan. de reb. Eccl. non alien. Rub. 18. à n. 1. Azor p. 2. lib. 9. c. 1. q. 3. Molin. tract. 2. de just. D. 468. n. 2. Piafec. prax. Episc. p. 2. c. 8. art. 4. n. 14. Layman. lib. 3. tract. 4. c. 10. n. 3. Barbosa. lib. 3. jur. Eccl. c. 30. n. 11. & seqq.

pleno cumulo concordant DD. ceteri. Inter has causas pro iusta censetur causa R. F. Schmalzgrueber *Consilia.*

pietatis, causa pauperum, causa aedificandi Ecclesiam &c. nam ex his causis res Ecclesiasticae, intervenientibus tamen solennitatibus, à jure praescriptis, alienari omnino possunt, modò prius, ut num. praeced. dictum est, Rectori, ministris, item fabricae Ecclesiae, de cuius bonis translatio facienda est, ex ejusdem redditibus in tantum provideatur, ut neque de praesenti, neque de futuro aliquid pati ipsamet debeant, sed id post factam alienationem habeant, quod ipsis pro sustentatione Ministrorum, & aliis necessitatibus sufficit. Ex quo ducitur argumentum ad casum praesentem; nam

2. Si Res Ecclesiarum suo modo alienari possunt pro necessitatibus pauperum, etiam alienari hoc modo poterunt pro aedificanda, vel reparanda Ecclesia paupere, cum talis Ecclesia pauper etiam in numero pauperum veniat, per tradita à

Peck. de reparand. Eccl. c. 25. n. 2. & 7. & c. 32. n. 2.

ibi, *Quodsi testator jussit sua bona in pauperes expendi, & Ecclesia indiget refectione, Episcopus posset eorum bonorum partem in eandem reparationem transferre. Concludit ergo omnino hæc paritas, instituta inter pauperes alios, & inter pauperem Ecclesiam, exstructione, reparatione, vel ampliatione ad augendum cultum divinum indigentem, si hæc mediis, ad hunc finem necessariis, sit destituta. Consequenter etiam pro hac Ecclesia, ut in statum debitum reponatur, alienari omnino bona ejus immobilia, mobilia pretiosa, usufructus, census, pensiones annuae &c. quamvis cum solennitatibus requisitis poterunt: quod magis urget in casu substrato, ubi*

3. Nullatenus agitur de alienandis bonis immobilibus, aut mobilibus pretiosis, sed solummodo de subsidio pecuniario ex fructibus annuis Ecclesiae divitis, quæ iisdem non indiget; nam alia est ratio pecuniae, & alia bonorum immobilium, & mobilium pretiosorum, cum distinctione tamen, an hæc pecuniae, ex fructibus venditis, locationum mercedibus, aliisque redditibus proveniant, an vero à testatore relictae, aut ex venditione rei immobilis, aut mobilis pretiosae redactae in eum finem sint, ut alia res immobilis, vel mobilis pretiosa ex his comparatur. Nam in primo casu tales pecuniae liberè, & sine solennitate expendi possunt. Et sic intelligi debent

Sylv. V. alienatio. q. 8. n. 7. Ricc. p. 1. prax. decis. 50. n. 3. & decis. 73. in fin. Edit. 1. Barbosa. de Offic. Episc. alleg. 95. n. 49. Molin. tract. 2. D. 465. circa finem.

Et ratio est, quia pecunia est inventa ad commutationes faciendas, emendandumque, & non datur, aut accipitur, ut conservetur,

(Iii ii 2)

15.

16.

vetur, sed ut in alios, scilicet quotidianos usus, qualis etiam est liberalitas (quæ Ecclesiis, & piis foundationibus nequaquam prohibita est) convertatur, nec servata ullum fructum parit, sed otiosa remanet: adeoque res est, quæ ex sua natura, & fine servando servari nequit. Talis autem res alienari sine solennitate potest. In secundo casu, ut expendi in alium finem possint, Canonica solennitate est opus; quia ratione destinationis inter immobilia, vel mobilia pretiosa, quæ etiam subrogari debent, censetur. Et pro hac distinctione stant

Vasq. de re diti. c. 2. §. 2. n. 44. Quarant. V. alienatio. n. 25. Pialec. prax. Episc. p. 2. c. 5. art. 4. n. 19. Palao tract. 12. D. un. p. 15. §. 1. n. 5. & 6. Tambur. de jur. Abb. tom. 3. D. 13. q. 1. n. 3. & duob. seqq. Gibalin. rom. 2. de negot. lib. 4. c. 8. art. 1. n. 14. Donat. prax. regul. tom. 1. p. 2. tract. 14. q. 52. n. 1. & seqq. Valleng. ad tit. de reb. Eccl. non alien. §. 2. n. 1.

In presenti casu agitur de subsidio pecuniis superfluis hospitalium, & aliarum causarum piarum. Proinde ex his absque solennitate ad fabricam Ecclesiæ, necessitati, & utilitati publicæ pro augmento divini cultus inservituræ, succurri absque scrupulo poterit. Quod confirmatur

17.

4. Quia communior, usque recepta sententia est, quod Episcopus ultimas pias voluntates commutare, & relictæ, seu destinata ad certos usus pios applicare ad alios usus pios possit juxta

Ugolin. de Offic. & potestat. Episc. c. 6. n. 1. & 2. Barbof. simil. tract. alleg. 83. n. 5. & seqq. Monet. de commut. ult. volunt. c. 5. n. 318. & seqq. Engl. de testam. n. 23. Leuren. tit. eod. q. 770. n. 5. & seqq. la Croix in Theol. moral. libr. 3. p. 2. n. 1149. & libr. 4. n. 846.

Modò iusta, & rationabilis causa subest, qualis, se solâ ad hoc sufficiens, est pura utilitas publica.

Monet. l. cit. c. 6. n. 102. Leuren. dict. q. 770. n. 6. Lauterbach. in Disp. de Execut. ult. volunt. c. 9. n. 92. cit. Covarr. lib. 3. var. resol. c. 6. Lambertin. de jur. Patr. aliosque plures, & sumitur ex can. præter hoc 6. §. deinde. dist. 32.

ubi asseritur, quod Oblationes vivorum, & mortuorum in Episcoporum dispositione sint. Et patet ex

Trid. sess. 22. c. 6. de reform.

ubi Episcopis non solum præscribit modum, quem observare debent in commutationibus ultimarum voluntatum, sed etiam commutationes istas ex iusta causâ faciendi potestatem iisdem generali delegatione confirmat. Accedit ratio, quia

testatorum voluntas, quando ex iusta causa in alios, præsertim meliores usus, relictæ convertuntur, non infringitur, sed declaratur, ut, licet non formalis, virtualitamen, & interpretativa eorum dispositio adimpleatur. atqui, ut

Monet. de commut. ult. volunt. c. 4. n. 7. & seqq.

aperte docet, & clarè probat, inter pias relictæ, si per ultimam voluntatem, si per actum inter vivos in ordine ad effectum commutationis nulla est differentia facienda. igitur etiam relictæ ad causas pias ex iusta causa Episcopus in alios usus potest convertere. Imò, ut

Lambertin. de jur. Patron. lib. 3. q. 6. princ. art. 1. n. 4. alique plures relati apud eundem Monet. c. 5. n. 356.

docent, ex magna causa evidentis utilitatis etiam statum Ecclesiæ immutare Episcopo permissum est. talis autem causa in casu proposito adest, quam communiter ingens concursus populi ad Ecclesiam quæstionis pro percipiendis Sacramentis. Quod iterum roboratur in specie

5. Quia, si hospitalia, ad certum peregrinorum, aut infirmorum, vel aliarum personarum genus recipiendum instituta fuerint, & in eo loco similes personæ vel nullæ, vel per paucæ reperiantur, tunc fructus, & redditus talium hospitalium in usum pium alium, qui illorum institutioni proximior sit, converti non tantum posse, sed & debere ab Episcopo, in terminis decidit

18.

Trid. sess. 25. c. 8. de Reform. & monet Ugolin. dist. c. 6. n. 2. in princ.

Et ratio est, quia redditus tunc ad usum destinatum superabundant, & otiosi sunt. Consectaneum ergo est, quod in casu nostro, quo pecuniæ abundantes aliarum Ecclesiarum, Hospitalium, & piarum causarum supponuntur, idem quoque dicendum sit, scilicet, quod superflua illa ad extructionem Templi quæst. pro utilitate totius patriæ inservituri, converti possint: & hoc eò magis, quia, ut apud

Monet. c. 5. cit. n. 356.

tradunt DD. ab ipso relati, Episcopus relictæ pro Hospitali exstruendo convertere, & applicare in constructionem Monasterii potest: quam sententiam ipse quoque probabilem esse affirmat, & exempla non desunt in ipso hoc Principatu, de quo agitur. Potest ergo ex dictioribus Ecclesiis &c. subsidium aliquod in alium usum pium, præsertim verò pauperis Ecclesiæ applicari ex harum fructibus. Quod rursum confirmatur

6. Nam, licet bona incerta, vel malè ablata, quorum veri domini ignorantur, pauperibus tribuenda sint, tamen, ut cum aliis docet

19.

Monet. c. 5. cit. n. 359. Peck. de reparand.

rand. Eccl. c. 25. n. 5. §. in contrarium tamen.

Episcopus, siquidem evidenter publica utilitas affulgeat, & hoc efflagitet, illa in exstructionem Ecclesiae, vel Hospitalis, aut Monasterii potest convertere. Ex haecenus deductis per seipsam sequitur responsio ad supra positas rationes dubitandi.

20.
Responde-
tur ad ra-
tiones
dubitandi.

Ad 1. nam non censetur Ecclesia, vel alia fundatio pia esse invita circa id, quod sit voluntate illius, qui plenariam hujusmodi Ecclesiarum, & fundationum administrationem habet, si ex justa, & à SS. Canonibus approbata causa id fiat, praesertim quando factum concernit solos fructus, non verò ipsius bona immobilia & mobilia pretiosa, vel his aequivalentia; sicut in casu praesenti fieret, si ex pecuniis talium fundationum otiosis, quibus ipsae neque pro necessitatibus praesentibus, neque pro futuris egent, subsidium aliquod pro exstruenda Ecclesia aliqua, bono publico patriae servituræ, & ad propagandam divinam gloriam summè utili, ad quam construendam aliunde non suppetunt media, subministraretur; neque enim opera charitatis prohibentur Ecclesiis, & aliis piis foundationibus, sed hæc ipsas omnino decet, & summopere iisdem commendantur. Nam si ob necessitatem pauperum permixtum est etiam vasa sacra frangere, & distrahere, multò magis permixtum erit Ecclesiae pauperi ex otiosis illarum pecuniis, quæ sine solennitate Canonica, ut dictum num. 17. alienari possunt, pro hujusstructura, ampliatione, vel reparatione succurrere, cum per dicta num. 13. omnes Ecclesiae sint membra ejusdem corporis, & membra membris subvenire debeant. Porro quantitas hujus subsidii, ut bene notat

P. Pichler *ad tit. de reb. Eccl. non alien. n. 6.* facultatibus cujusque Ecclesiae, habitæ quoque ratione aliarum circumstantiarum, commensurari debet.

21.

Ad 2. Imprimis hic non queritur de commutatione ultimarum voluntatum, sed tantum de subsidio ex pecuniis otiosis, ad quas elargiendas juxta dicta num. 16. non est opus solennitate Canonica. Deinde, ut deductum est num. 17. Episcopus etiam ultimas voluntates commutare, & harum vi destinata ad certos usus in alios similes usus ex justa causa, & ad instantiam hæredum, vel saltem de consensu eorum applicare potest. Neque obstat Clementina in hac ratione dubitandi citata; intelligi enim illa debet de casu, in quo per Testamentum relicta ad causas pias convertuntur ad usum minus pium, & minus utilem, ac sine justa causa ab hæredibus ipsis, vel executoribus. Dux leges pariter allegatae, cum sint dispositio juris civilis, attendendæ non sunt, quippe cum

Episcopi potestatem commutandi à sede Apostolica habeant. Proinde ipsi sic commutando non derogant juri communi Ecclesiastico, sed eidem jam antea derogavit Concilium Tridentinum & ipse Pontifex, cujus proinde potestate generaliter delegata sic commutando funguntur Episcopi: & hanc potestatem habent etiam Prælati Episcopo inferiores, qui jurisdictione quasi Episcopalem exercent. In praesenti casu, si non adest gravis necessitas, saltè invenitur evidens, & magna utilitas pro ampliori Ecclesia aedificandâ, quam agnoverunt plurimi, qui summis votis hoc, ut fieret, exoptarunt, & ostendit etiam frequentissimus concursus populi ad percipienda Sacramenta certis diebus Festis, & Dominicis, ubi in hoc novo templo Indulgentiæ proponuntur. Hinc non obest, quòd ipsimet DD. Parochi in suis Ecclesiis subiecto sibi populo haecenus debite Sacramenta administrarint, & impofterum etiam administraturi sint; per hoc enim non prohibetur populus etiam concurrere ad Ecclesias Regularium: imò ipsi summi Pontifices concursum hunc approbant, & ad hunc alliciunt, propositis etiam Indulgentiis, lucrandis à visitantibus eorum Ecclesias, audientibus eorum conciones, discentibus doctrinam Christianam, ab iis explicatam &c. ex quo dici sine culpatione sedis Apostolicæ neutiquam potest, quòd ex hoc ad regulares Ecclesias concursu sequatur nimis odibilis Ecclesiarum Parochialium neglectus.

22.

Ad 3. In praesenti casu non queritur, utrum Episcopus, vel alius Prælatas, jurisdictionem quasi Episcopalem obtinens, possit omnia bona, & redditus de Ecclesia, Hospitali, vel alia pia fundatione accipere, & ad novam Ecclesiam aedificandam applicare; sed tantum quaestio est, utrum de iisdem foundationibus partem aliquam reddituum divitis cujusdam Ecclesiae, vel Hospitalis, quâ ipsum non indiget, dare possit in subsidium aliquod ad aedificandam aliam Ecclesiam maxime necessariam, & utilem ad magis promovendum DEI honorem & gloriam, praesertim si tali fundationi praediviti nullum praediviti fiat, sed nihilominus pro se non solum necessarios, sed etiam abundantes redditus, etiam pro futuris necessitatibus, adhuc, etiam post datum tale subsidium habitura sit. Hinc eo ipso cadit, quòd obijcitur, posse contingere, ut, quamvis talis Ecclesia defacto non egeat, in futurum tamen possit aliquando egere; nam sermo est de tali Ecclesia, vel fundatione pia, quæ ita abundanter redditibus stabilibus instructa est, ut redditus isti sint perpetui, consequenter in necessariis moraliter nunquam defectum passura sit. Quòd verò Indultum hoc commutandi pia legata in alios usus,

(lii iij)

da-

datum Episcopis, tantum intelligendum sit de commutatione in utilitatem ejusdem Ecclesiae, patet contrarium ex rationibus decidendi, pro hac quaestione adductis, & sequitur evidenter ex eo, quod ex talibus Ecclesiarum redditibus superfluis de jure communi succurri pauperibus, consequenter etiam Ecclesiae pauperi ad hujus constructionem, ampliationem, & reparationem possit.

23.

Ad 4. Patet responsio ex dictis num. 18. ubi pro asserto, quod Episcopus relicta pro Hospitali extruendo applicare possit in constructionem Monasterii, non datur haeratio, quod Monasterium etiam ipsum veniat nomine Hospitalis; sed ponitur casus, quo pro Hospitali quid est relictum ad sustentandum certum genus pauperum, vel infirmorum, cujus generis, vel nullae, vel paucae personae reperiuntur; tunc enim, ut ibidem dictum, & probatum est, redditus superabundantes in alium usum pium, consequenter etiam in constructionem Monasterii in hujus subsidium ab Episcopo converti possunt, & debent. Similis casus vertitur in praesenti facti specie, ubi ponitur hypothesis, quod Ecclesia, vel alia pia fundatio habeat pecunias otiosas, quibus ipsa Ecclesia, vel pia fundatio neque pro praesentibus, neque pro futuris necessitatibus indigeret; ex his proinde pecuniis per ibi dicta ad extruendam novam Ecclesiam, vel Monasterium subsidium dari poterit. Neque obstat, quod in praesenti casu jam sit jus quaesitum Ecclesiae, vel Hospitali, a quo subsidium petitur; nam ratio haec solum id efficit, quod ad subministrandum istud subsidium necessarius sit consensus ipsius Ecclesiae, vel Hospitalis. Cum ergo Ecclesia, vel Hospitalis sit tantum persona ficta, quae proin per se ipsam consentum dare non potest, sufficiet consensus administratoris earum, praesertim si hic talis sit, qui plenariam omnium fundationum piarum administrationem habet, & in hac nullius consensu indiget. Poterit ergo iste ex justa causa necessitatis, vel evidentis utilitatis dare consentum suum, ut indigenti cuidam Ecclesiae ex pecuniis earum otiosis subsidium aliquod pro fabrica illius, ad quam ipsa media sufficientia non habet, subministratur.

24.

Ad 5. Argumentum illud sumptum ex Legato, relicto pro pauperibus certae speciei, huc non quadrat; sermo enim hic est de Ecclesia, vel alia fundatione pia praedivite, habente superfluas pecunias, & talibus instructa redditibus, ut periculum morale non sit, ut aliquando egeat. Neque obstat, quod, siquid certis pauperibus, vel ad certum usum pium relictum sit, illud neque Papa in alium usum convertere soleat, & nequidem potestate ordinaria objus ipsis quaesitum possit; nam

hoc cum grano salis intelligi debet, scilicet, ut non tota substantia sic relicta ad alium usum applicetur. Non ergo prohibetur, ne applicetur pars illius, & praesertim pecunia otiosa.

Peck. de repar. Eccl. c. 25. n. 7. & C. 32. n. 2.

Exemplum dedere non raro ipsimet summi Pontifices, qui pro bello contra haereticos, & infideles Imperatori, & Regibus indulserunt, ut tertiam, vel aliam partem bonorum Ecclesiasticorum, in ditionibus suis existentium, accipiant, prout fecit Paulus III. Carolo V. Clemens VII. qui Ferdinando, & Innocentius XI. qui Leopoldo Imperatoribus ejusmodi Indulta juxta formam

c. adversus 7. de immunit. Eccl. concesserunt.

QUÆRITUR III.

An non saltem ad intentam novae Ecclesiae fabricam Episcopus, vel quasi Episcopalem jurisdictionem obtinens, praesertim ille, qui plenariam administrationem fundationum piarum habet, ex pecuniis superfluis, & otiosis Ecclesiarum, & Parochiarum Augustanae Confessionis (qualis est Ecclesia Parochialis in O. quam nunc Lutherani, abdicato omni Exercitio Catholicae Religionis, obtinent) notabilem quantitatem concedere possit?

DUbi movetur imò quia juxta supra allegatam Clem. 2. de Relig. Dom. Praelatis Ecclesiasticis non est permittum bona Ecclesiarum, & Hospitalium in alium usum, quam ad quem destinata sunt, absque consensu Apostolicae sedis convertere. Neque obstat 2. quod dicta Ecclesia in O. modò possideatur ab A Catholicis; nam ea, quae per pacem Religiosam Ecclesiis Augustanae Confessionis addicta sunt, iis invitis auferri non possunt, sed illibata ipsis relinqui debent per

Recess. Imp. An. 1555. §. 21. also auch denen Ständen 2c.

ibi, So soll doch einem jeden Stand, und dem die Rent, und Gerechtigkeit, so er vor Anfang dieses Streits in der Religion daran gehabt, und im Brauch gewesen, vorbehalten, und dadurch demselbigen nichts benommen seyn, und sollen dannoch von solchen obgenannten Gütern die nothdürfftige ministeria der Kirchen, Pfarren, und Schulen, auch die Almosen, und Hospitalia, die sie vormahls bestellet, und zu bestellen schuldig, von solchen obgemeldeten Gütern, wie solche die ministeria der Kirchen, und Schulen vormahls bestellet, auch nachmahls bestellet, und versehen werden, ungeachtet, was Religion sie seyen. Quod ipsum ulterius confirmatur 3. ex instrumento pacis Monasterientis art. 5. per totum,

25.

dubitandi.

rum, signanter §. 24. & seqq. Sed his non obstantibus

26. *Rationes decidendi.* Ad quaestionem propositam tenenda est affirmativa; nam imò certi, & expediti juris est, quòd Episcopus, & jurisdictionem quasi Episcopalem obtinens Prælati alius in conscientia vel maxime obligatus sit, ut redditus Ecclesiæ, & fundationis alterius piæ in usus pariter pios, conformiter ad primæviam, & Catholicam intentionem, ac institutionem modo, quo fieri potest, possibili convertat. Certum autem est pariter, quòd in Ecclesia O. prædicta, abdicato omni exercitio Religionis Catholicæ, Lutherici exercitium suæ sectæ soli habeant: consequenter, quòd à multis jam annis pro fundatoribus, & benefactoribus nullæ celebrentur Missæ, & multò minùs aliqua opera pietatis Christianæ erga eos peragantur, sique iidem fundatores, & benefactores priventur suffragiis piorum, quibus fortasse animæ illorum, in purgatorio detentæ, indigent. Cum ergo

27. 2. Exploratum in jure sit, quòd in casu, quo voluntas ultima (idem est de foundationibus piis) adimpleri amplius non possit modo aut loco expresso, tali casu, quòd impossibile non sit obligatio, illa impleri debeat alio modo aut loco, prout intentioni fundatorum conformius fuerit; cumque Religiosi, si ex ejusdem Ecclesiæ, jam Lutherizata, redditibus pro meliori ipsorum subsistentia, & ad extinguenda debita, in fabricam suæ Ecclesiæ facta, subsidium aliquod pecuniarum concedatur, se offerant ad plurimas Missas pro Ecclesiæ illius fundatoribus & benefactoribus, tum mox procurandas, tum signulis annis legendas, & hac ratione iidem fundatores & benefactores defuncti pro solatio animarum suarum, quo nunc in hóc Ecclesiæ istius statu carere debent, plura Missarum suffragia obtinerent, quam aliàs, etiam dum exercitium Catholicæ Religionis adhuc ibi vigeat, obtinuissent; hinc non apparet, quâ de causa iisdem Religiosis ex dictæ Ecclesiæ redditibus non debeat, vel saltem possit subministrari notabilis aliqua quantitas ad structuram suæ Ecclesiæ, pro qua ædificanda multa debita contrahere compulsi sunt, ad quæ solvenda tali subsidio juvantur, & quidem sine periculo, ne memorata Ecclesia ob datum tale subsidium egeat. Nam

28. 3. Præfata Ecclesia abundantes redditus, & insuper aliquot millia ad censum annum elocata, habet. Proinde, etiam si aliquot millia ex iisdem redditibus dictis Religiosis subministrarentur, tamen eisdem Ecclesiæ tanta remaneret quantitas fructuum, ut non tantum fabrica illius conservari, & ministris illius stipendia persolvi, sed etiam omnes aliæ expensæ pro futuris, etiam extraordinariis, & fortuitis

casibus, nihilominus sustineri possent. Accedit, quòd

4. Nullum periculum sit, ne propterea, quòd talis summa pro structura templi novi subministraretur, ex parte addictorum Confessioni Augustanæ, ulla querela Religionis movenda sit, quippe cum nemo illorum administrationi bonorum dictæ Ecclesiæ se possit ingerere, aut inspicere rationes de ea gesta, sed hoc solum, etiam privativè, respectivè etiam ad Episcopum, in cujus Diocesi dicta Ecclesia sita est, ad solum Principem territorialem spectet cum libera.

5. Imò etiam moderni Principis decessores ex superfluis ejus Ecclesiæ redditibus notabilem quantitatem ad alios usus pios destinârunt. Ut adeò simile subsidium pro expungendis debitis, in structuram Ecclesiæ novæ ibidem factis, cum aliunde non suppetant, media ad hæc diluenda suggeri bonâ conscientia possit, præsertim cum porrecto tali subsidio, in solatium fundatorum, & benefactorum defunctorum tot Missæ dicendæ sint. Adde, quòd

6. Ad ædificandam novam Ecclesiam, præsertim si hæc bono publico, & augmento divinæ gloriæ, salutisque proximi inservitura sit, etiam novæ Collectæ, ut ad quaestionem atam demonstrabitur, subditis imponi possint. Igitur multò magis ex superfluis Ecclesiarum pecuniis in hunc finem subsidium dari poterit.

Ex his eruitur responsio ad argumenta superius opposita. Ad imum Clementina, in hoc argumento allegata, non debet intelligi de Ecclesiis, & piis foundationibus occupatis per A Catholicos; nam tunc, quando edita fuit hæc Constitutio, nemo ne somniavit quidem de Lutheranismo. Intelligi ergo solummodo debet de Ecclesiis, & piis foundationibus, quibus hodie dum fruuntur Catholici, & quidem cum limitationibus, positis in responsione ad quaestionem adam præcedentem: quibus adde, quòd juxta doctrinam

Molin. tract. 2. D. 249. n. 7.

& aliorum communem, in casu, quo Legata, relicta certo loco, aut alteri usui, ad illum applicari non possint, illa tunc alteri usui vel loco applicari possint, & saltem si pia sint, ita implenda, ut quàm minimè recedatur à voluntate defuncti: quod fiet, si cum consensu Episcopi exectores id, quod ita relictum est, applicent ad alium usum pium. In præsentī casu redditus Ecclesiæ O. si maneant apud istam, non possunt applicari ad usum pium, à fundatoribus hujus Ecclesiæ destinatum, sed potius ad usum contrarium, nempe ad conservationem, & propagationem sectæ Lutheranae, à cujus fautoribus, & ministris infesta est dicta Ecclesia. Proinde tutissimâ conscientia fecerit ejus administrator, si partem reddituum

29.

30.

31.

32.

Respondetur ad rationes dubitandi.

tuum ejus, saltem superfluum, applicet alteri causæ piæ, qualis est constructio novæ Ecclesiæ, in qua pii fundatores, & benefactores ejusdem obtinere intentionem suam, scilicet augmentum divini cultûs, & solatium animarum suarum per Missarum suffragia possint.

33.

Ad ædum in allegato recessu Imperii dicto §. 21. solum statuitur, ut antiquæ, i. e. Catholicæ Religioni addictis sui, quos alibi fortè inter Lutheranos dominos habent, redditus, Census, proventus, Decimæ, & bona relinquuntur, ita tamen, ut illi domini Catholici ex iisdem bonis Parochis, & ministris Ecclesiarum, scholarum Magistris, Hospitalibus &c. etiam alterius Religionis, ut prius, ita etiam impofterum de congruâ sustentatione provideant. Quod ipsum jam antea provisum erat per antiquiorum

Recess. Imp. Spir. 1544. §. 88.

ibi, Und sollen dannoch auch von solchen obgemeldten Gütern die nothdürfftige ministeria der Kirchen, Pfarren, und Schulen, auch die Almosen, und Hospitalia, die sie vormahls, und in Zeit des Regensp. Abschieds bestellt, und zu bestellen schuldig, von solchen Gütern nachmahlen versehen, und bestellet werden, ungeachtet, weß Religion die seyen. Sane constat, quàm malè non raro Confessione Augustanæ addicti tractent bona Ecclesiastica, occasione sectæ suæ accepta; quibus sæpe satis est, si ex redditibus Ecclesiarum pro summa necessitate facta recta earum conservent, & ex his ministris earum salarium præstent, dum reliquos earum proventus in usus profanos convertunt, & dissipant. Multo igitur magis Catholici Principes, & status, Ecclesiarum, quas Lutherani in eorum territoriis sitas obtinent, redditus, vel partem illorum, salvis salariis ministrorum, & expensis pro fabrica earum, ex dicta Ecclesia, in quâ redditus isti ad finem destinatum ob vigentem ibi Lutheranismum applicari nequeunt, alibi ad causas pias (qualis est Ecclesiæ in casu substrato tam utilis, & necessaria fabrica) ubi solatium animarum suarum fundatores, & benefactores illarum obtinebunt, applicandos, transferant, præsertim, cum in præsentis casu, subministrato petito subsidio, salva mansura sint stipendia pro Parochis, & scholis A catholicorum.

34.

Ad 3tium potiùs allegari debuisset instrumentum pacis Casareo-Suecicum, seu Osnabrugense, quàm Monasteriense; nam in Monasteriensi tantum super gravaminibus inter Imperatorem, & Regem Galliarum transactum fuit; Osnaburgi autem compositione fuerunt differentie Religionis inter Imperatorem, & Electores, Principes, & status Catholicos ex una,

& inter Regem Sueciæ, Electores, Principes, ac status protestantes ex altera parte. In instrumento igitur Osnabrugensi art. §. 24. dicitur: Quacunque Monasteria, Collegia - - Tempia, fundationes, scholas, Hospitalia, aliavæ bona Ecclesiastica - - ut & eorum redditus, juræque, quocunque ea nomine appellentur, Augustana Confessionis Electores, Principes, status anno 1624. die 1mâ Januarii possederunt, eadem omnia, & singula - - iidem possideant. Sed hæc verba ad casum præsentem non faciunt; nam jurisdictionem, & administrationem bonorum, & reddituum dictæ Ecclesiæ nunquam possederunt A catholici nec ante, nec post memoratam Pacificationem, sed semper eandem sibi retinuerunt Principes Catholici ejus Ditionis, qui etiam illi Ecclesiæ ex ejus redditibus hucusque suggererunt salaria pro ministris illius, & expensas pro factis rectis ejusdem Ecclesiæ conservandis. Cæterum non coheret hoc argumentum cum primo argumento; si enim, ut in hoc primo argumento dicitur, Prælati non est permillum bona Ecclesiarum, & Hospitalium, aliarumque fundationum piarum in alium usum, quàm ad quem destinata sunt, convertere, quomodo vî pacis Religiosæ, & Osnabrugensis hi redditus applicari poterunt ad usum sectæ A catholicæ, qui est prorsus contrarius usui destinato per fundatores? cum tamen notum sit, quodd Sedes Apostolica dictam compositionem pacis, quatenus Ecclesias, Episcopatus, & alia bona Ecclesiastica, Protestantibus per eam attributa, concernit, per nuntium suum nullam, & irritam declarari præceperit, atque clarum sit, quodd eadem sancta Sedes non valuerit Ecclesiarum redditus usui sectæ A catholicæ applicari.

QUÆRITUR IV.

An non ad fabricam Ecclesiæ, qua ob necessitatem, & utilitatem publicam adificari debet, ex pecuniis Collectarum, quæ paratæ jam, & abundantes adsunt, ut adeo necesse non sit novas Collectas indici, subsidium aliquot millium florenorum, bonâ conscientia, concedi possit, præsertim in casu, quo Religiosi adificantes ob defectum mediorum expensas ad fabricam hanc necessarias facere nequeant?

Rationes dubitandi sunt imò. Certum quidem est in jure sacro, quodd rationes in casu, quo reparanda est Ecclesia Parochialis, vetustate, vel alio casu collapsa, aut ruinam minitans, si ipsa Ecclesia non habeat tantum peculii ex bonis, ad fabricam illius deputatis, ipseque Rector illius,

lius, & beneficiati eidem inservientes, adeo tenues habeant reditus, ut deducta sustentatione, non superfit, quod ad Ecclesiae restorationem conferant, aut quod superest, in eam collatum non sufficiat, succurrere teneantur Parochiani laici, & ii, qui Decimas ex ea Ecclesia percipiunt, per decretum

Trid. sess. 21. c. 7. de reform.

ibi, Et omnes alii, qui fructus aliquos, ex dictis Ecclesiis quomodocunque provenientes, percipiunt: quibus proinde Collectae pro reparatione talis Ecclesiae imponi possunt. Nusquam tamen legitur, quod etiam tale onus subditis injungi possit pro construenda Ecclesia Regulari; sed ipsimet de mediis aliunde v. g. per collectionem Eleemosynarum in hunc finem prospicere sibi debent. Nam

36.

2. Ad novas Collectas subditis imponendas, videtur necessarius esse consensus istorum; quia, ut habet

Reg. quod omnes 29. de R. J. in 6.

quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari. Et ratio est; quia sic melius prospectum est subditis, ne per exactiones, à Principe arbitrato suo impositas, plus æquo, & ultra vires suas graventur; quod facile fieret, cum Principes valde propensi sint ad imponendas hujusmodi exactiones, semperque causentur, antiqua tributa sibi non sufficere ad eximios suos sumptus. Et esto, quod consensus iste non foret necessarius respectu subditorum vicinorum urbi, de qua loquimur, quod isti, concurrendo ad Ecclesiam de novo aedificandam pro percipiendis Sacramentis, plura commoda spiritualia inde percipiant, tamen

37.

3. Hæc ratio non pugnaret respectu subditorum, magis remotorum à dicta civitate; hi enim vel nullam, vel modicam duntaxat ab illa Ecclesia utilitatem haberent, & tamen cogerentur in pari cum prioribus quantitate Collectas has novas pendere, inconveniens autem omnino est, ut nullum, vel minus utile habituri tantum conferre debeant, quantum alii, longe majus commodum habituri; oneris enim, & commodi commensurata ad invicem ratio esse debet.

l. un. C. de caduc. tollend. Antonell. in tit. de domib. Eccl. c. 1. in Const. Aug. Peck. de reparand. Eccl. c. 24. §. 2.

38.

atque istud 4. etiam intelligendum est de Collectis, & stauris, quas subditi jam solverunt, & quæ adhuc extant in ærario staurarum, seu Collectarum; nam in his illi jus quæsitum habent, ut expendantur in usum proprium, ipsisque proficiant, petereque illi possunt, ut quamdiu in dicto ærario sufficientes pecuniæ pro oneribus publicis restant, tantisper ab impositione novarum Collectarum liberi maneant. Et hoc jus eò fortius est respectu subditorum, remotius ab urbe habitantium, quippe qui

R. P. Schmalzgrueber Consilia.

pro rata prædiorum suorum æqualiter contribuant cum vicinis civitati, & tamen minus, vel nullum ab Ecclesia hac nova commodum, & utilitatem percipiunt.

His tamen non obstantibus, judico tenendam esse affirmativam. Imò potest Episcopus, & quivis alius Prælati, jurisdictionem quasi Episcopalem obtinens, ex gravi causa, præsertim utilitatem publicam spectante, & tali, quam nemo bonus, & rerum intelligens æstimator improbare valet, à subditis petere subsidium charitativum: quales causæ in particulari plures referuntur apud

Menoch. de arbitr. cas. 178. Azor p. 2. lib. 6. c. 14. q. 4. Bellet. disquis. p. 1. tit. de Cleric. debitor. §. 12. Boër. decis. 133. & 134. Bellencin. tract. de subsid. charitat. q. 16. Tambur. tom. 3. de jur. Abb. D. 10. Lauret. de Franch. contr. int. Episc. & Regular. q. 71. Barbof. de offic. Episc. alleg. 87. à n. 26. Engl. de censib. exact. & c. n. 9. König ibid. n. 22. cum aliis.

In specie autem ad aedificandam novam Ecclesiam ob necessitatem, & utilitatem publicam, novam Collectam imponi posse, judicant

Klock. de contribut. c. 6. n. 114. & c. 7. n. 7. & 15. Knipsch. de jurib. & priv. civit. Imper. lib. 2. c. 17. n. 80. D. Baro ab Andlern in suo corp. constit. Imper. tom. 2. V. Anlag. Anschlag, Collecten. Sreut. n. 41

2. Princeps sæcularis ob justam causam potest extraordinarias exactiones indicere subditis, cum sequentibus conditionibus, quas notant

Suar. lib. 5. de LL. c. 15. n. 3. & 4. Molin. tom. 2. de J. & J. D. 661. n. 1. & alii communiter,

nempe 1. si necessitas ejusmodi propulsari, vel utilitas promoveri per alia media ordinaria nequeat. 2. ut exactiones ejusmodi non sint majores, quam ad finem ejusmodi obtinendum necessarium videatur. 3. ut cessante causâ etiam exactiones cessent. cum igitur inter has causas, quæ justæ censentur, ut ob eas à Principe sæculari indici exactiones extraordinariæ possint, recensentur etiam opera, Religionem, & pietatem spectantia (qualis est aedificatio novi templi, necessitati, & utilitati publicæ subditorum inservituri, ob hanc etiam causam Princeps sæcularis indicere Collectas extraordinarias poterit. Exemplum dedit Serenissimus Guilielmus, Bavarix Dux pientissimus, qui pro construendo templo Societatis Jesu Monacensi cerevisiæ vendibili imposuit in singulas hujus mensuras unicum nummum, & ex pecunia sic collecta magnificum illud Templum construxit, dotavitque. Multò igitur magis ob hanc causam bonâ conscientia id poterit Princeps Ecclesiasticus, cui

(Kkk kk)

proprie

39.

Rationes decidendi.

40.

proprie incumbit promovere causas pietatis, & Religionis, praesertim si accedat utilitas spiritualis publica.

41.

3. Potest pronuptiis filiae à Dominis territoriorum peti Collecta, vulgò Gräulen-Steuer, quae sententia pro valde probabili habetur, à multis approbatur, & à celeberrimis DD. defenditur, usque, ac consuetudine passim invaluit: quae sententia stante, non apparet, quare non etiam ad aedificandam novam Ecclesiam id ipsum fieri bonae conscientiae possit, si ad fabricam illius non suppetant aliunde media, praesertim cum Principatus de quo hic agitur, praeter aliis Electoratus, & Principatus id singulare habeat, quod ad indicendas Collectas praecedente consensu subditorum non egeat, sed tantum opus sit consensu Reverendissimi Capituli. Cui accedit; quia si tale subsidium concederetur pro Templo novo, non multum gravarentur subditi, tali Collecta exacta; nam modica exactio singulis imposita satis notabilem conficeret summam.

42.

4. Quod autem fabrica novae huius Ecclesiae, ob necessitatem, & utilitatem publicam intenta sit unice, ex eo patet, quia Religiosi pro suo duntaxat usu novae, & ampliori Ecclesiae opus non habent, sed contenti esse possent, & vellent Sacello suo arcto, & parvo, quod haecenus possederunt: ut adeo major, & amplior haec Ecclesia intenta sit unice propter permagnum accursum populi tam ex urbe, quam ex vicinis locis, qui per annum affluit. Neque obstat, quod remotioribus subditis, quippe qui rarius illuc excurrunt, occasio ista non ita prodest; nam, praeterquam, quod etiam ipsi huc excurrere possint, cum sint membra ejusdem Principatus, & membra membris succurrere debeant, etiam ipsi hoc modo, applicato ex Collectis ipsorum subsidio aliquo notabili, toti saltem corpori profunt. Deinde

43.

5. Non est hic principalis quaestio, an ex Collectis hujusmodi unice aedificanda sit Ecclesia quaest. vel solvenda sint debita, ad structuram illius jam perfectam contracta, neque quaeritur, an novae Collectae in hunc finem sint indicendae; sed dubium in eo versatur duntaxat, an ex pecuniis Collectarum, jam solutis, & praesentibus, eisque ad usum proprium non necessariis, Religiosis, quibus media ad hunc finem non suppetunt, ex misericordia, & pietate, atque ob bene merita, quae sibi de Principatu universo fecerunt, in subsidium huius fabricae, & debitorum inde contractorum aliquot millia subministrari possint? Et quidem hoc, salva conscientia fieri posse, inde constare videtur. Imò quia Religiosi illi fuerunt hucusque unice, ad quos tum civitas tum circumjacentes pagi, & oppida in spiritualibus suis necessitatibus refugium suum habuerunt haecenus, quippe cum us-

que ad ultimos hos annos nulli alii Religiosi in toto principatu stabilem sedem habuerint. 2. cum olim tam civitas, quam circumjacentes Principatus istius pagi & oppida magna ex parte à Lutherana secta essent infecta, horum praecipue Religiosorum opera subditi restituti sunt Ecclesiae Romano-Catholicae, fidesque illorum antiquae sinceritati. 3. Quod à majoribus laudabiliter est inchoatum, successores ejusdem Religionis tam civibus, quam accolis diu, nocturneque in spiritualibus eorum necessitatibus assistendo, dictis ad populum concionibus, institutis per totum Principatum missionibus, administratione Sacramenti poenitentiae, & Eucharistiae, habitae juventuti, & rudipleti doctrina Christiana, aliisque functionibus, instituto suo propriis, omni contentione sunt prosecuti, inque id connixi sunt, ut subditi in eo statu, in quem olim restituti fuerunt, usque ad praesens conservarentur: ut adeo subditi his Religiosis usque ad praesentem diem, post Deum, ob hanc causam plurimum debeant, obstrictique sint, qui porro 4. hac eorundem opera confidenter utuntur, & hoc quidem jam ultra 142. annos. Quod verò haec merita eorum publica, & privata non sint talia, ut aequum sit, ut ad fabricam novae Ecclesiae, non pro ipsorum commodo, sed pro utilitate publica constructae, ex paratis Collectarum pecuniis aliquot millium florenorum subsidium concedi salva conscientia possit, nemo inficiabitur, qui haec merita aequamente perpenderit: nec dubium est, quin etiam Doctores Universitatis Colonienensis, & Lovanienensis, qui contraria responsa in hac causa dederunt, perpensis circumstantiis, rationibus, & meritis haecenus recensitis, si has considerassent, in sententiam, novae fabricae faventem inclinassent. Ex his patet responsio ad argumenta opposita.

Ad 1. mum potest Episcopus ad aedificandam Ecclesiam, maxime illam, quae publica utilitati inservituta est, indicare subsidium charitativum, & Princeps saecularis Collectas, per dicta n. 39. & 40. imò & Domini territoriales pro nuptiis suae filiae per sententiam valde probabilem, & passim practicatam, ut dictum est num. 41. ergo non est necesse, ut iidem Religiosi, pro quibus novum Templum est construendum, in hunc finem per Principatus oppida, & pagos vagentur ad conquirendam pro hac fabrica Eleemosynam, praesertim si tales sint Religiosi, quorum omnes in operibus charitatis erga proximum assidue ita occupantur, ut sine detrimento functionum suarum à Monasterio suo abesse non possint.

Ad 2. nisi aliud in Provincia aliqua per specialia pacta, vel concordata subditorum cum Principe introductum sit, consensus, vel consilium subditorum ad indicendas novas Collectas nequitiam necessarius de jure

44.

Respondetur ad rationes dubitandi.

45.

jure communi est, modò adsit justa, & sufficiens causa, ut

Suar. lib. 5. de LL. c. 17. n. 8.

& hoc teste, DD. reliqui asserunt. Ratio est, quia necessitati consensùs, vel consilii sui jam renuntiârunt subditi, dum potestatem sui gubernativam absolutam transfulerunt in Principem. Neque obstat, quòd, si requireretur consensus subditorum, melius his esset prospectum, ne exactionibus, à Principe arbitrio suo indictis, plus æquo, & ultra vires suas gravarentur; nam hoc solum probat, beneficii, si consensùs, vel consilii hujusmodi necessitas per pacta specialia inducatur. Contrarium constat in Principatu, de quo sermo nobis est, ubi juxta relata *num. 41.* Princeps ad indicendas Collectas præcedente consensu subditorum non eget, sed sufficit, si id fiat cum consensu Reverendissimi Capituli.

46.

Ad 3. Responsio patet ex dictis *num. 42.* licet enim aliqui remotiores sint à civitate, & ideo non tantum commodi spiritualis per functiones, in nova hac Ecclesia habitas, percipiant, quantum propinquiores, qui, quando volunt, eò possunt excurrere, tamen & ipsi aliquoties eò per annum veniunt, vel saltem possunt venire, & fructus istius participes sese facere. Adde, quòd & ipsi per excursions Religiosorum, in spiritualibus erudiantur, ut saltem ex hac causa gratitudo videatur exigere, ut pro structura templi eorum symbolam suam conferant. Denique Ecclesia hæc intenta est pro fructu spirituali totius Principatus, cui, tanquam corpori, ipsi tanquam membra rectè subveniunt.

47.

Ad 4. Repetere possent subditi excessum residuum Collectarum, vel saltem petere, ut quamdiu in ærario Collectarum sufficientes pecuniæ pro oneribus publicis adsunt, tantisper à novarum Collectarum impositione ipsi liberi maneant. Sed hoc intelligendum est in casu, si alia causa justa, & à DD. approbata non adsit, ob quam hoc residuum expendi licet, & bonâ conscientia possit. In præsentia autem Facti specie juxta rationes decidendi *num. 39. & seqq. usque ad num. 43. inclusive* adeest ratio sufficiens ad indicendas Collectas novas, & multò magis ad dandum subsidium ex collectis jam solutis, adhuc extantibus. igitur, his positis, sine conscientia scrupulo subsidium aliquod notabile Ecclesie huic novæ, dari poterit, ut debita, pro structura istius contracta, possit solvere.

Decisio totius præsentis Controversiæ

48.

Patet ex hæcenus deductis. Nam imò potuit pro ædificanda Ecclesia, cum Monasterium ibidem situm media, ad talem fabricam sufficientia, non habuerit,

per dicta *ad quaestionem 1mam*, & rationes ibi allatas dari mutuum ex pecuniis otiosis Hospitalis, quibus ipsum non indigebat, sine censu, & cum defacto, ut ponitur, dictum Hospitale iisdem non egeat, solutio hujus differri etiam impofterum, extinguendum juxta conditionem, contractui mutui primitus adjectam, per solutiones particulares, usque dum totum solvatur, præsertim, cum defacto solutionem istam simul præstare dictum Monasterium omnino nequeat.

Imò addò potest bonâ conscientia, eaque optimâ ex iis pecuniis, quæ sine censu pro fabrica dictæ novæ Ecclesie mutuo data sunt, & per particulares solutiones restitui deberent, aliqua certa summa remitti, & condonari; nam, positis prædictis circumstantiis deficientium unâ ex parte mediorum pro tali fabrica, ex altera verò abundantium pecuniarum otiosarum in alia Ecclesia, vel pia fundatione prædixite, ex his pecuniis Episcopus, vel alius Prælati, plenariam dispositionem causarum piarum cum libera obtinens, subsidium pecuniarium, etiam sine obligatione restituendi, tali fabricæ applicare potest, uti constat ex responsione *ad quaest. 2dam* & rationibus pro hac allatis à *num. 13. usque ad 19.* & solutionibus objectionum contra hanc resolutionem à *num. 20. usque ad 25.*

Maximè verò 3. pro eadem nova Ecclesia subsidium notabile, absque læsione pacis religiosæ, & Osnabrugensis concedi potest ex superfluis, & otiosis pecuniis Ecclesie Parochialis in O. quam nunc Lutherani, abdicato omni exercitio Religionis Catholicæ obtinent, & in cujus bona, & redditus Celsissimi Principes ante, & post eandem pacem semper habuerunt plenariam, & cum libera administrationem, cum solo hoc onere, ut ministris Ecclesie illius sua salaria præbeant, & facta testata conservent, prout videre est ex responsione *ad quaest. 3.* & ostenditur per rationes pro hac allatas *num. 26. & 5. seqq.* item ex solutione objectionum à *num. 32. usque ad 34um.*

Imò 4. pro eadem Ecclesia ædificandâ per dicta in responsione *ad quaest. 4.* & rationes ibi allatas à *num. 39. usque ad 43. inclusive*, indici potuissent novæ Collectæ subditis. Multò igitur magis tale subsidium dari poterit pro eadem Ecclesia ex pecuniis Collectarum jam solutis, & præsentibus, eisque ad usum proprium non necessariis, ex misericordia, & pietate, atque ob bene merita, quibus hi Religiosi totum Principatum sibi obstrinxerunt, per dicta *num. 43.* quod ipsum roborant solutiones objectionum *num. 44. & tribus seqq.* Ita salvo meliore &c.

49.

50.

51.